

Donationes manuales non subjacent iisdem legibus: possunt utique acceptari quin necesse sit recurrere ad gubernium civile. Regula generalis est, principiis juris communis et doctrina jurisperitorum innixa, traditionem realem boni mobilis, præsertim pecuniæ, dominium rei transferre in recipientem, et possessionem loco tituli esse, ut statuit art. 2279 Codicis civilis. Decretum an. 1809 de fabricarum constitutione eandem regulam implicite sanxit in gratiam Ecclesiarum, nedum legi communi derogaverit; siquidem inter redditus fabricarum enumerat *oblaciones*: porro *oblaciones* sunt donationes manuales, nec ullum discrimen assignatur inter *oblaciones*, ratione quantitatis summæ donatæ. Ergo donatio manualis, qualiscumque sit, acceptari potest absque prævia approbatione gubernii. Si tamen donatio sit valde notabilis, ratione habita fortunæ donatoris, et videatur facta ut partes subterfugiant interventum auctoritatis publicæ, gubernium sibi reservat facultatem eam rescindendi, aut ad certum modum imminuendi <sup>1</sup>.

5º Ut detur expetita approbatio, exponi debet gubernio status rerum, cum petitione facta ab administris instituti cujus interest. Si agatur de acquisitione titulo oneroso, transmittendæ sunt tabulæ in quibus declarantur natura, situs et valor objecti, bona eidem instituto jam ante acquisita, media quæ illi suppetunt solvendi pretium rei acquirendæ. Si agatur de acquisitione titulo gratuito, servantur formalitates communes præscriptæ pro donationibus et testamentis; insuper, quod ad testamenta attinet, advocantur propinquiores hæredes defuncti, ut assentiantur legato aut declarent cur assensum suum denegaverint. Non necessum est ut re ipsa assentiantur, sed illos audiendos voluit princeps sæcularis, ut perpendatur an hæredes grave detrimentum patiantur ex dispositione testamentaria defuncti; an intercesserit fraus aliqua seu captatio; an bona derelicta proveniant ex paterna hæreditate aut aliunde; an testator perspectum haberit statum suorum parentum.

<sup>1</sup> Cf. Gandry, *Traité de la législation des cultes*, t. III, n<sup>o</sup> 864, 865.

Insuper, ubi de donationibus seu testamentis agitur, ratio habetur onerum a donatore injunctorum, et finis proximi ad quem bona donata sunt, utrum oneribus non gravetur communitas ultra quod expedit; an valeat pactis conditionibusque satisfacere; utrum finis a donatore intentus, onera quæ imposuit, pia opera quæ exsequenda mandavit, consentiant cum natura, conditione atque fine instituti. V. g., fabrica Ecclesiæ parochialis constituta est solummodo ad gerenda negotia temporalia cultus publici; quocirca non potest acceptare donationes destinatas ad fundationem et regimen scholarum et xenodochiorum, ita saltem quod ipsa scholas aut hospitalia instituat et administret. Si fundatio hujusmodi facta sit, gubernium tantummodo concedet, ne defraudetur pia intentio donatorum, ut fabrica acceptet ac, vices agens executoris testamentarii, transferat bona data ad communitatem civilem, cui munus incumbat exsequendi intentiones in testamento expressas <sup>1</sup>.

Expositur assensus Episcopi quoties imposita sunt onera communitatibus ecclesiasticis, et ejusdem sententia, si nulla onera injuncta sint; Episcopi siquidem est perpendere an expediat fundationes acceptari.

His cunctis habitis, auctoritas sæcularis statuit: testamentum confirmat atque exsequi mandat; aut e contra denegat approbationem, vel donationes imminuit, relicta parte hæredibus, prout sibi visum fuerit.

Hæc retulimus, sed non indistincte probamus; multa enim videntur adversa libertati Ecclesiarum.

#### ART. II. — DE PRÆCIPUIS SPECIEBUS BONORUM ECCLESIASTICORUM.

578. — Actum est, in præcedentibus, de sacris ædibus, de illarum suppellectili et de cœmeteriis. Alia bona ecclesiastica

<sup>1</sup> *Journal des fabriques*, t. VII, pag. 500. *Décision du Conseil d'État*, an. 1841.

distinguuntur generatim in mobilia, immobilia et census; cum vero nulla sit difficultas sub eo respectu, aliam distinctionem bonorum expendere magis opportunum arbitramur, ratione habita finis ad quem donantur. Sunt igitur oblationes, foundationes et beneficia de quibus singillatim dicetur, posteaquam nonnulla prænotata fuerint, ad intelligentiam juris et veteris disciplinæ de primitiis et decimis.

#### § 1. De primitiis et decimis.

579.—Judæis præscriptum fuit, lege Mosaica, primitias frugum terræ deferre in domum Domini, ut cederent in usum Levitarum.

Primitias solvebant Deo immediate, in gratiarum actionem pro novis fructibus a divina providentia acceptis; sed hæc, Deo ipso ita ordinante, inserviebant alendis sacerdotibus. Decimas etiam omnium fructuum quotannis solvere jubebantur Levitis.

Lex evangelica nihil ea de re præscripsit fidelibus; nec ut primitias frugum Deo, nec ut suorum bonorum decimas in sustentationem clericorum persolverent: obligationem tamen naturalem subveniendi necessitatibus ministrorum Ecclesiæ sancitam voluit, et pastorum prudentiæ dimisit determinare, pro ratione temporum et locorum, modum magis congruum quo his necessitatibus provisum foret.

Ab exordijs nascentis Ecclesiæ fideles dare consueverunt, spontanea devotione, primitias frugum; quem morem pietate inductum, atque moribus insitum, sancti Patres valde commendaverunt, et Ecclesia suis canonibus servandum indixit. Hæc disciplina in desuetudinem sensim abiit, ac tandem penitus cessavit. Diutius perseveravit lex decimarum quæ clericis solvebantur in sacri ministerii stipendium. Duplicis generis distinguuntur in jure, prædiales et personales, quibus etiam accensen-

tur novales. Decimæ *prædiales*, pars erant decima proventuum et fructuum prædii rustici, vel urbani; decimæ *personales*, erant quædam pars bonorum industria et arte comparatorum; *novales* nuncupabantur proventus prædii noviter ad cultum redacti, quod ante frugiferum non erat. Sacri canones et multæ SS. Pontificum constitutiones injunxerunt fidelibus ut decimas solverent, quæ primævis temporibus Episcopo datæ sunt in administrationem et dispensationem, postea autem attributæ communiter fuerunt Ecclesiis parochialibus, « ad quas de jure « communi spectavit decimarum perceptio, » ut dicitur in cap. *Cum contingat*, 29, *Cum in tua*, 30, DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS, lib. III Decret.

Legislatio de decimarum solutione et perceptione multis dubiis occasionem dedit, quæ in nostra ætate supervacaneum est excutere, cum in desuetudinem apud nos abierit. « Nimirum, « ait Devoti, posteaquam clericis parata sunt aliis bonis ac redditibus ea quæ suppedient ad cultum et ad victum, paulatim « decrevit solutio decimarum, et nunc in multis locis neque « decimæ prædiales ex prædiis urbanis, neque personales solvuntur... et multæ etiam regiones sunt in quibus decimæ (ex omnibus fructibus terræ) prorsus exoleverunt. » (Tit. XVI, de Decimis, § 6.)

#### § 2. De Oblationibus.

De oblationibus quæritur 1º quid sint et qua lege determinantur; 2º quibusnam in dominium cedant, et qua conditione legitime possint recipi; 3º quæ sit auctoritas Episcopi in statuendo modum et partitionem oblationum.

\*580.—1º *Quid sint oblationes, quæ illarum origo, et quatenus fieri debeant a fidelibus?*

I. Oblationes fidelium, consideratæ abstrahendo a foundationibus de quibus modo dicemus, sunt bona mobilia quæ fideles donant intuitu religionis, occasione præsertim alicujus actus

ministerii ecclesiastici, ut cedant in usum Ecclesiæ, aut sacrorum ministrorum.

II. Antiquissimus est oblationum usus, et ab ipsa ætate apostolorum repetendus. Offerre quippe fideles consueverunt panem et vinum ad sacrificium Missæ; thus et oleum pro sacris luminaribus; fruges præterea quibus pauperes alerentur una cum aliis fidelibus in agapis. Frequens occurrit harum oblationum mentio in monumentis priorum temporum. « Oblationes quæ in altario consecrentur offerte, aiebat S. Augustinus: erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit. » (*Sermo ccxv de Tempore*, Ed. Lugd.); et Deum testatur quod sua mater Monica nullum diem præterierit absque oblatione ad altare. (*Conf.*, lib. V, cap. ix.)

Non admittebantur indiscriminatim oblationes, sed ab illis solummodo qui in communione Ecclesiæ vivebant. Fratrum inter se dissidentium, excommunicatorum, hæreticorum, dona accepta non erant. Hinc S. Ambrosius Valentinianum Augustum graviter admonuit ne templa collabentia idololatrarum resarciret, ni vellet suas oblationes ab Ecclesia respui; et clericorum S. Basili nemo ausus est accipere dona Valentis Imperatoris, donec scirent an sanctus Antistes ea acceptavisset<sup>1</sup>.

581. — III. Oblationes aliæ sunt spontaneæ, aliæ debitæ ex parte fidelium. Etsi primævæ ætate fideles nulla lege cogentur, se tamen aliquatenus obligatos reputabant dona afferre, quibus clericis et Ecclesiæ pauperibus necessaria suppeterent: unde S. Hieronymus in epist. ad Heliodorum dicebat: « Clerici de altare vivunt; mihi tanquam infructuosæ arbori securis ad radices ponitur, si munus ad altare non defero. »

Oblationes spontaneæ dicuntur quas fideles ultro faciunt, donando Ecclesiæ intra Missarum solemnias ad offeritorium, seu deponendo in arce nummariis, aut sua munera alio modo largiendo prout sibi visum fuerit.

<sup>1</sup> Selvaggio, *Antiquitatum christ. instit.*, lib. II, part. II, cap. 1, n<sup>o</sup> 20-58.

Oblationes, quas debitas diximus, illæ sunt quas fideles facere debent occasione sacrosancti sacrificii, quod sibi specialius applicari postulant, vel solemnitatis quam adhiberi volunt in benedictione nubentium, sive in suorum defunctorum exsequiis, vel etiam ut jus acquirant utendi sedilibus in Ecclesia, quando sacris officiis intersunt.

Cum nonnulli exprobrent Ecclesiæ harum oblationum perceptionem, quedam notare necessarium omnino arbitramur, quibus explicetur disciplina hodierna.

1<sup>o</sup> Ecclesia catholica abhorret a simoniaca labe. Vult res divinas summa religione tractari, et gratis in usus fidelium impendi, quod gratis a Christo acceptum est. *Quod gratis accepistis, gratis date.* 2<sup>o</sup> Fideles tenentur officio religionis, charitatis et justitiæ, ad providendum de victu necessario clericis qui sibi spiritualia ministrant, et ad conferendum de suis facultatibus in reparanda et ornanda templa, in amplificandum divinum cultum, in sublevandos pauperes quorum cura pastoribus maxime commissa est. 3<sup>o</sup> Jus divinum non præfinivit quandam quibusve casibus fideles debeant hoc debitum religionis et justitiæ exsolvere erga Ecclesiam et clerum; opportunissima autem se offert occasio, quando ad ministerium sacerdotum confugiunt, ut ab eis officia exposcant, non quidem sibi ad salutem necessaria, sed potius ad sui solatium, ut in casibus modo recensitis.

Hæc cum sint extra omnem controversiam posita, nemo offendi debet praxi hodierna moribus christianis inducta, quod scilicet oblationes, initio voluntariæ, decursu temporum abierint in laudabiles consuetudines, quas traditiones et ipsa decreta plurium conciliorum commendant. A sæculo vi, concilium Matisconense II jussit panem et vinum singulis diebus dominicis ab omnibus fidelibus offerri: quod statutum sua etiam auctoritate reges Francorum sancire studuerunt; legimus enim in art. 170 libri VI *Capitularium* Francorum: « Placuit ut fiant oblationes sacerdotibus, si fieri potest: saltem die dominica id absque ulla excusatione fiat. » Ex oblatiis pane et vino materia

sacrificii eucharistici sumebatur : quod reliquum erat, clericis et pauperibus tribuebatur. Cum desit panis et vini oblatio, cœpit offerri pecunia, unde Missæ honorarium ortum est.

Oblationes alias fieri occasione nuptiarum et exsequiarum consuetudo similiter induxit. Concilium Lateranense, habitum anno 1179, condemnavit nonnullos abusos qui inter clericos irrepserant, illud præ cæteris « quod... pro sepulturis et exsequiis mortuorum, et benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid requiratur ; » et ne hæc de cætero fiant districtius prohibuit. Conjicere licet ita fuisse tunc temporis statutum, propterea quod clerici requirerent oblationes modo qui speciem aliquam venalitatis et exactionis præferret, aut saltem quia consuetudo super his hactenus non invaluerat. Quidquid sit, concilium subsequens, anno 1216 in Ecclesia etiam Lateranensi celebratum sub Innocentio III, duo simul præcaveri curavit, exactiones ex parte clericorum, et contemptum laudabilem consuetudinum ex parte laicorum. « Ad Apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam clerici pro exsequiis mortuorum, et benedictionibus nubentium et similibus, pecuniam exigunt et extorquent... E contra vero quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitate nituntur infringere, sub prætextu canonice pietatis. Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, et pias consuetudines præcipimus observari, statuentes ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta : sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare. » Cap. *Cum in Ecclesiæ*, 9, et *Ad Apostolicam*, 42, DE SIMONIA. Mens igitur Ecclesiæ est ut pia devotione serventur consuetudines laudabiles super oblationibus fieri solitis, occasione solemnitatis nuptiarum et funeralium.

\* 582. — II° *Quid curandum sit clericis ut legitime percipiant oblationes, occasione sacri ministerii præstitas ?*

Episcopi officium est approbare atque statuere modum quo fieri debeant oblationes. Ipse invigilare debet divinis officiis, ne quid contra regulas ecclesiasticas tractetur, et sollicitudinem conditionis clericorum gerere. Ipsi concilium Lateranense curam demandavit dignoscendi laudabiles consuetudines a pravis exactionibus; ipsum etiam commonuit synodus Tridentina ut omnino prohibeat, « cujusvis generis mercedum condiciones, pacta..., necnon importunas et illiberales eleemosynarum exactiones potiusquam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt. » Sess. XXII, *Decret. de observandis et evitandis in celebratione Missæ.*

Curandum proinde 1°, ne pro funerum aut matrimoniorum pompa, in superfluos sumptus fideles inducantur, alioquin erit *importuna exactio* decreto concilii vetita. — 2° Ne quid recipiatur ultra quod certa lege, vel probata consuetudine, constitutum est, aut spontanea fidelium voluntate collatum, alioquin violatur justitia commutativa, et est *turpis quæstus* ab eodem concilio improbat. « Si ultra eleemosynam ab Episcopo taxata, plus sacerdos celebraturus exigat, ait Benedictus XIV, non solum delinquit contra legem Ecclesiæ, verum etiam justitiam commutativam lædit. Etenim, uti argumentatur Suarez, quamvis Missæ stipendium non habeat rationem pretii, nihilominus exposcit justitiam ut aliqua proportio servetur inter illud et opus ad quod subeundum administratur ; eamque proportionem definire, inspecta natura rei de qua agitur, ad solum Episcopum spectat. Ob eandem rationem, judicio Episcopi Missarum eleemosynam taxantis stare debent etiam regulares, quibus, sub suorum privilegiorum obtentu, neutiquam licet stipem illa majorem exigere quam Episcopus præscripsit. » (*De Synodo*, lib. V, cap. IX, n° 2.) — 3° Ne quid omitatur ritus, caeremoniarum, numeri et præsentiae presbyterorum et clericorum inferiorum, quod stipulatum promissumque fuit.

Cum jure naturali nemo debeat percipere stipendium stipu-

latum, nisi præsterit officium de quo inter partes convenit, sequitur sacerdotes qui non intersunt obsequiis funeralium ad quæ deputati sunt, aut qui, licet corpore præsentibus, nullatenus participant precibus quæ pro defuncto offeruntur, non posse, illæsa justitia, recipere, nec retinere oblationes a fidelibus solutas.

Quod ad adistentiam spectat, excusare potest gravis necessitas sacri ministerii; quia fideles, dum postulant præsentiam sacerdotum numero præfinito, merito consentire censentur ut quidam ex ipsis, qui detinerentur alibi improvisa necessitate, non adsint obsequiis. Non excusat vero exercitium ministerii quod ad illud tempus differri potest; multo minus excusat absentia ob causam vacationum. S. Congregatio concilii pluries declaravit canonicos absentes per tempus jure concessum, non lucrari distributiones quotidianas (nº 413). Eadem ratione concludimus sacerdotes, parochiali Ecclesiæ adscriptos, sibi arrogare non posse jus ad oblationes, ipso tempore quo a parochia absunt vacationum causa, de quibus nihil fuit in disciplina canonica statutum, nec convenit inter partes. Si, ob vacationes nonnullorum, seu ob aliam causam, parochus non possit habere numerum competentem presbyterorum, qui sufficiat ratione gradus solemnitatis a familia defuncti quæsita, debet alios asciscere ex clero vicino, aut imminuere, servata proportione, taxationem oblationum, aut demum præmonere familiam, an sponte consentiat.

Addimus sacerdotes teneri, dum obsequiis intersunt, preces offerre pro defunctis ad mentem Ecclesiæ, et ad intentionem merito præsumptam donatorum, qui censentur presbyteros convocasse, non ad pompam funebrem solum, sed ad preces publicas. Propositum est dubium, anno 1857, S. Congregationi Rituum: « Utrum parochus, alique sacerdotes exsequiis mortuorum officisque quotidianis pro iisdem assistentes, ac pro ea functione stipendium accipientes, teneantur per se officium defunctorum persolvere, ita ut solummodo assistentes, et non

« cantantes vel psallentes, fructus non faciant suos; an vero « sufficiat ut assistant, et schola officium persolvat, ipsis interea, « pro suo libitu, alias preces fundentibus, v. g. Breviarium recitantibus pro sua quotidiana obligatione? » S. Rituum Congregatio, in ordinariis comitiis ad Quirinale coadunata, post accuratum examen propositi dubii, respondendum censuit: *Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam.* Die 9 maii 1857. Responsio declarat quid præscriptum sit, jure communi, de necessitate præsentiae corporalis et precum. Obligatio psallendi aut cantandi in officio funerum, potest temperari et reipsa moderatur in multis locis ex intentione præsumpta fidelium, qui varias oblationes offerunt, alias in favorem presbyterorum assistentium, alias pro cantoribus et musicis. Est insuper ea de re in iisdem locis consuetudo quæ videtur sufficienter ab auctoritate probata. Sed necesse est ut sacerdotes præsentibus adsint, in sensu mox exposito, et reipsa orent pro defuncto; alioquin conditiones tacite pactas non servant, et peccant contra virtutem justitiæ oblationes retinendo<sup>1</sup>. Admitti nequaquam debet præsumptio in contrarium.

\* 585. — IIIº *Quibusnam in dominium cedant oblationes fidelium?*

Dicemus præsertim de oblationibus factis in Ecclesiis parochialibus: solutiones quas super his daturi sumus, ad cæteras oblationes apponi possunt. Porro, ex oblationibus fieri solitis in Ecclesia parochiali, aliæ ipsimet Ecclesiæ cedunt, aliæ parochi, aliæ cæteris presbyteris, et clericis inferioribus, qui sacro ministerio functi sunt.

I. Ad parochiam pertinent, vi consuetudinis generalis, et præsumptæ intentionis fidelium: 1º quæ fideles sponte sua, absque speciali determinatione, reponunt in arcis nummariis,

<sup>1</sup> Hæc inserta sunt in synodalibus monitis pro diœcesi Parisiense, an. 1850: « Memores sint omnes se ad præsentiam in exsequiis ex justitia teneri, « quotiescumque stipendium pro præsentia datur: nec aliam in hac re admitti dispensationis causam, nisi quæ ex sacri ministerii gravi necessitate oritur. »

aut donant per modum eleemosynæ pro cultu publico; 2<sup>o</sup> quæ dantur pro locatione vel usu sedium aut subselliorum; 3<sup>o</sup> oblationes quæ fiunt parochiæ occasione celebrationis nuptiarum et funeralium, ob luminaria, sedes, ornatum, cenotaphia quæ fabrica subministrat: in majoribus vero urbibus ubi constituta fuit administratio generalis funeralium, fabrica ab illa administratione percipit partem certam reddituum, ex pacto et convento; 4<sup>o</sup> cerei qui simul cum pane benedicendo offeruntur; 5<sup>o</sup> uno verbo dici potest cuncta quæ in navi Ecclesiæ, sive in arcis, sive in manus collectorum, donantur sine designatione specialis finis, cedere Ecclesiæ parochiali, et impendenda esse in usus ipsius, ut instauretur sacrum ædificium, decenti suppellectili ornentur, provideatur clericis et famulis qui eidem Ecclesiæ inserviunt.

II. Ad parochum pertinent: 1<sup>o</sup> oblationes quæ fiunt ad altare, pecuniæ scilicet et cerei quæ ad offertorium fideles deferunt, juxta ritum quem Deus olim veteri lege præscripsit, cap. v, 10, *Numerorum*: « Quidquid in sanctuarium offertur a singulis et traditur manibus sacerdotis, ipsius erunt; » 2<sup>o</sup> pars certa oblationum, quæ ex statutis diœcesanis, aut probata consuetudine, parochi ob ipsius titulum pastoris obveniunt occasione funeralium, vel benedictionis nuptialis, et quæ idcirco designatur communiter sub nomine *juris stolæ*; 3<sup>o</sup> stipendia soluta pro Missis ac cæteris officiis quæ ipse celebraverit; 4<sup>o</sup> quæ dantur pro variis attestationibus promulgationis bannorum, baptismi...

Incertum est cuinam cedant eadem oblationes, perceptæ tempore vacantæ tituli parochialis. Pars tribuetur vicario, alterive presbytero quem Episcopus designaverit ad supplendum vicem titularis; *qui enim sentit onus, sentire debet commoda*. Quid vero si oblationes excedant honorarium reservatum vicario? Regulis canonicis consentaneum videtur, quod superest reservari futuro titulari, aut expendi in bonum parochiæ, sive fabricæ conferatur, sive ad usus pios parochiæ utiles destinetur. Hunc fuisse morem Ecclesiarum testatur sanctus Gregorius

Magnus, in epistola ad Oportunum episcopum (lib. II, epist. XIII), ubi, admonendo præsulem quod Ecclesiam alicui presbytero commendaverit, hæc addit: « Ideoque fraternitas tua emolumenta ejusdem Ecclesiæ faciat sine cunctatione præstari, et fructus qui jam percepti sunt prædicto viro fac sine mora restitui, quatenus ejusdem Ecclesiæ utilitates, cujus emolumenta consequitur, sollicitè valeat procurare. » Bonifacius item VIII prohibuit, cap. *Præsenti*, 9, DE OFFICIO ORDINARI, in VI, « ne Episcopi seu alii quivis regulares vel sæculares prælati... vacantibus dignitatibus, prioratibus vel Ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, eorundem bona, morientibus eorum rectoribus, in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quæ in utilitatem eorundem expendi, vel futuris debent successoribus fideliter reservari, occupare, aut in suos usus convertere quoquomodo præsumant: nisi de speciali privilegio, vel consuetudine jam præscripta legitime, seu alia causa rationabili, hoc eisdem competere dignoscatur. » Regula proinde generalis est ut oblationes cedant utilitati parochiæ; nec in alios usus impendi debent, nisi consuetudo legitime præscripta, aut gravis causa, permittat eosdem proventus adhibere in alias diœcesis necessitates.

III. Ad alios presbyteros, seu clericos inferiores, pertinent oblationes factæ occasione ministerii cujusdam personalis, v. g. præsentis obsequii defunctorum, celebrationis Missæ, prædicationis verbi divini, nisi tamen consuetudo ferat illas in commune reponi, ut æqua partitio fiat inter singulos presbyteros ejusdem Ecclesiæ servitio adscriptos, quod in pluribus parochiis laudabiliter servatur.

Cerei quos clerici deferunt ad exsequias defunctorum, ipsis in proprietatem tribuuntur<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Cf. *Code des fabriques*, tom. II, pag. 527-555. — *Journal des fabriques*, tom. I, pag. 521; tom. II, pag. 54; tom. III, pag. 260; tom. XI, pag. 560; ubi resolvuntur ad normam juris civilis multæ quæstiones subortæ inter parochos et fabricas de partitione cereorum.

\*584. — Diximus supra oblationes nec recipi nec retineri posse, nisi impletæ sint conditiones de quibus expresse aut implicite conventum est... Quoad missarum stipendia, quædam sunt valde notanda.

I. Notandum, 1<sup>o</sup> neminem posse partem stipendii solito pinguioris sibi retinere, etiam in suæ Ecclesiæ pauperumve utilitates impendendam, concessa presbytero, qui Missam applicavit, eleemosyna consuetudine aut lege diœcesana præscripta. « Si qui, ait Benedictus XIV, manualementem eleemosynam consueta pinguiorem accepit, alteri sacerdoti Missam celebrandam committat, non potest illius partem sibi retinere, sed totam quam accepit erogare debet sacerdoti celebranti: quod ab Urbano VIII statutum est, et opposita opinio ab Alexandro VII die 24 sept. an. 1665 proscripita fuit; inter enim propositiones ab eodem Pontifice damnatas hæc reperitur: *Post decretum Urbani, potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta...* Quia vero recta ratio non patitur, ex eleemosyna ab Episcopo taxata, quæ exigua esse solet, aliquid detrahi in commodum Ecclesiæ subministrantis sacerdoti sacra indumenta, aliaque utensilia, ad Missæ celebrationem necessaria, hac de causa Urbanus VIII decrevit nihil ex eleemosynis manualibus esse eo nomine detrahendum. » (*De Synodo*, lib. V, cap. ix, n<sup>is</sup> 3, 4.)

Ecclesiis quandoque concessum fuit ut aliquid ex stipendiis Missarum retinerent, cum nempe alios redditus non habent quibus sustineant onus sacra utensilia præstandi<sup>1</sup>; privatis

<sup>1</sup> Decretum *Cum sæpe contingat* promulgatum a S. Congregatione Concilii, jussu Urbani VIII, hæc præ cæteris statuit: « Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet (S. Congregatio) sacerdoti qui missam suscepit celebrandam, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat. » Ut vero melius innotesceret sensus decreti, eadem S. Congregatio plura dubia resolvere studuit, hæc duo præsertim: « An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis

autem non licet partem stipendii sibi retinere. Id *execrabilem abusum* vocat Benedictus XIV, qui turpis lucri cupiditate inductus, non solum ab avaritiæ suspitione et vitio, verum etiam a furti crimine haud immunis est; unde restitutioni subjacet. Ut abusus efficacius cohibeatur, Pontifex Episcopis injunxit, ut per edictum in suis respective diœcesibus proponendum, notum faciant sacerdotem quemlibet qui stipendia majoris pretii colligens, Missas, retenta sibi parte eorundem stipendiorum, sive ibidem, sive alibi, celebrari fecerit, pœnam suspensionis ipso facto incurrere, a qua non possit absolvi per alium quam per Rom. Pontificem. (Const. *Quanta cura*, an. 1741.)

Duas exceptiones apponunt theologi ad regulam generalem. 1<sup>am</sup> Si sacerdos celebraturus Missam, sponte sua et ex mera liberalitate, condonet alteri partem stipendii; siquidem quilibet potest cedere juri suo, et etiam sine ullo stipendio onus celebrandi in se suscipere. Abstinentum est tamen ab illa praxi, ne forte condonatio sit ore tenus liberalis, re autem ipsa moraliter coacta, metu displicendi suo parochi, aut carendi honorariis. Idcirco decretum fuisse refert Benedictus XIV, Const. *Quanta cura*, § 3, sacerdotem non posse stipendium minoris pretii alteri Missam celebraturo erogare, *etsi eidem sacerdoti*

« manutionis Ecclesiæ, altarum, inservientium, paramentorum, vini, hostiæ et similibus? — An sacerdotes quibus aliquando offertur eleemosyna major solito pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis quibus Missas celebrandas committunt: an vero satisficit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam? Ad 1<sup>um</sup> dubium respondit: « Permittendum non esse ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, et loca ipsa non habent alios redditus quos in usum earundem expensarum erogare licite possint, et tunc quam portionem retinebunt nullatenus debere *excedere valorem expensarum quæ pro ipsomet Missæ sacrificio celebrando necessario sunt subeundæ.* » — Ad 2<sup>um</sup> dubium: « *Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.* » Decretum refertur ex integro apud Reiffenstuel in tit. DE CELEBRATIONE MISSÆ, lib. III decret. — Cf. Bened. XIV, *Institutione* lvi.

*Missam celebranti et consentienti, se majoris pretii stipendium accepisse indicasset.* 2<sup>am</sup> Si moraliter constet excessum stipendii concessum fuisse parcho, non intuitu Missæ celebrandæ, sed consideratione personæ. Non facile id præsumendum; contingere tamen potest, et casu obveniente non lædatur justitia stricta, si parochus aliquid sibi retinuerit<sup>4</sup>.

585. II. Notandum, 2<sup>o</sup> improbandam esse illorum agendi rationem qui eleemosynas Missarum undequaque colligere satagunt, et ad bibliopolam, seu ad ornamentorum liturgicorum opificem transmitti curant, ut ab eo libros seu paramenta, ex conducto gratuito recipiant in remunerationem præstiti officii. Talis agendi ratio turpem quæstum sapit...; præterea scandalum fidelibus parit, qui audiunt sacerdotes sua lucra sectari, more negotiatorum, occasione stipendiorum missarum...; tandem grave est periculum ne plures Missæ nunquam celebrentur, aut per longum tempus, contra donatorum intentionem, illarum celebratio protrahatur... Episcopi proinde jure ac merito possunt hæc suæ diœcesis clericis interdicerè, sub comminatione censurarum.

586. — IV<sup>o</sup> *Utrum Episcopus disponere possit ut pars oblationum aliis cedat quam Ecclesiæ, aut parcho cui factæ sunt?*

I. Episcopi debent regulariter, ac tenentur, dimittere oblationes fidelium Ecclesiis parochialibus, parochis et vicariis, quibus factæ sunt, servato ordine in solutione quæstionis præcedentis indicato. Ratio, et regulæ generales ex jure depromptæ, id probant. 1<sup>o</sup> Standum est intentioni cognitæ aut legitime præsumptæ donatorum, qui de suis rebus cedunt prout sibi visum fuerit: porro, intentio fidelium est, ut quæ suæ parochiæ largiantur, in illius usum impendantur; inserviant nimirum impensis cultus publici, sustentationi ministrorum, sublevamini pauperum. 2<sup>o</sup> Titulares cujusvis Ecclesiæ habere debent suum

<sup>4</sup> Cf. Viva in prop. IX, inter damnatas ab Alexandro VII.

beneficium sine diminutione, ut fert titulus juris, nempe XII libri III, cujus hæc est inscriptio: *UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DEMINATIONE CONFERANTUR*; at vero inter fructus beneficii computantur oblationes consuetæ, illæ præsertim quas canonistæ vocant *jura stolæ*, quæ scilicet parcho obveniunt ob titulum ipsum parochialem. 3<sup>o</sup> Canonibus statutum est, ut « cum parœciæ limitatæ fuerint, singularum parœcium proventus in « usus Ecclesiæ cedent necessarios et stipendia ministrorum. » Hinc concludit Innocentius III Episcopum non potuisse conferre viris religiosis obventiones alicujus Ecclesiæ parochialis, reservata alias portione vicarii, « nisi de licentia Rom. Pontificis, « præter capituli sui voluntatem. » (Cap. *Pastoralis*, 9, DE HIS QUÆ FIUNT A PÆLATO SINE CONSENSU CAPITULI, lib. III Decret.) Exinde nobis concludendum videtur Episcopum non posse, lege ordinaria, exceptis casibus jure aut consuetudine approbatis, disponere aliter de oblationibus quæ fiunt in Ecclesia parochiali.

587. — II. Quando redditus fabricæ parochialis minime sufficiunt honestæ sustentationi vicariorum, Episcopus providere potest, etiam ex oblationibus jure assignatis titulo parochiali, ut, parte congrua reservata parcho, consultum sit necessitati presbyterorum quæ ipsi in ministerium adjunguntur.

Concilium Tridentinum jus contulit Episcopis ut « etiam « tamquam Apostolicæ Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis « parochialibus, in quibus populus ita numerosus sit ut unus « rector non possit sufficere..., cogant rectores... sibi tot sacer- « dotes ad hoc munus adjungere quot sufficiant ad sacramenta « exhibenda, et cultum divinum celebrandum. » Sess. XXI, cap. IV *de Reform.* Si Episcopus adjungat parcho vicarios, consequens est ut illorum sustentationi consulat; *nemo enim militat suis stipendiis: dignus est operarius mercede sua.* Undenam providebit vicariis nisi ex redditibus fabricæ, ex oblationibus fidelium, ex foundationibus, vel tandem ex ipsis redditibus tituli parochialis, si alia non sufficiant, nec subsidia præstentur

a municipiis? Unum superest ut « competens assignetur portio, « arbitrio Episcopi, ex fructibus ad Ecclesiam (parochialem) « quomodocumque pertinentibus; » quemadmodum idem concilium statuit pro nova parochia quæ ex prioris dismembratione formatur.

Hæc minime contraria sunt assertioni supra datæ; eo enim conspirant canones et mens præsumpta fidelium donatorum, ut oblationes quas faciunt parochia, curæ generali Ecclesiæ præposito, inserviant bono communi parochiæ, celebrationi cultus divini et necessitatibus presbyterorum eidem Ecclesiæ adscriptorum.

588. — III. Episcopus non potest, regulariter, disponere de oblationibus unius parochiæ ut aliis parochiis, seu communitatibus, cedant. Canones statuunt sua cuique Ecclesiæ servanda, nec imponenda esse onera, præter casus jure præfinitos, quibus graventur parochiæ, lædantur jura titularium qui suo beneficio absque imminutione proventuum potiri debent, et res alio deriventur præter intentionem donatorum.

Utrum communi juri Episcopus aliquando derogare valeat, et res paulo aliter disponere ob peculiare locorum et temporum circumstantias, disputatum fuit occasione praxis quæ in diocesis Galliæ, a tempore instaurati cultus publici, invaluit, reservandi sextam partem proventus locationis sedium omnium Ecclesiarum parochialium, in gratiam sacerdotum infirmorum, seu ætate debilitatorum, quibus administratio diocesana providet<sup>1</sup>. Alia praxis in nonnullis locis, præsertim Parisiis, obtinuit certam partem oblationum ex funeralibus provenientium detrahendi, ut inde summa pecuniæ communis (*un fonds commun*) componatur, ad subveniendum, æqua proportione statutis diocesis taxata, singularum parochiarum necessitatibus.

Ut solvatur quæstio proposita, nonnulla animadvertere oportet :

<sup>1</sup> V. *Code des fabriques*, tom. II, pag. 217-219.

1º Episcopus, cui Sancta Sedes commisit regimen diocesis, in spiritualibus et in temporalibus, providere debet ac tenetur singulis Ecclesiis diocesis, ut ubique cura animarum habeatur, et celebratio cultus divini laudabiliter exerceatur : atqui contingere potest ut nulla alia ratio suppetat ad subveniendum necessitatibus, præter certam partitionem oblationum inter Ecclesias quæ opibus abundant et cæteras pauperiores quæ sibi sufficere nequeunt.

2º Concilium Tridentinum statuit : « In parochialibus Ecclesiis quarum fructus adeo exigui sunt ut debitis nequeant « oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per unionem beneficiorum id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum « assignatione, aut per parochianorum symbola ac collectas, « aut qua commodiori ratione ei videbitur, tantum redigatur, « quod pro rectoris, aut parochiæ necessitate, decenter sufficit. » (Sess. xxiv, cap. xiii, *De Reform.*) Non sunt in statu præsentis beneficia simplicia quæ uniri possint parochiæ; non sunt primitiæ, nec decimæ quas Episcopus assignare valeat; præterea collectæ in locis pauperibus non sufficiunt ex hypothesi; superest igitur, ut ad præscriptum concilii, Episcopus qua commodiori ratione ei videbitur consulat necessitatibus parochiæ : porro ratio commodior et persæpe sola efficax, est partitio oblationum de quibus agitur.

3º Hæc partitio consonat nonnullis dispositionibus juris canonici. Concilium Lateranense concessit Episcopis facultatem postulandi *subsidium charitativum*; nimirum, ut « pro multis necessitatibus quæ aliquoties superveniunt, si manifesta « ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab « eis (suis subditis) valeant auxilium postulare. » Cap. *Cum Apostolus*, 6, DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS. Cap. *Conquerente*, 16, DE OFFICIO JUDICIS. Concilium Tridentinum facultatem Episcopis tribuit providendi erectioni seminariorum, et lectioni sacræ Scripturæ in majoribus Ecclesiis faciendæ, per contributionem beneficiarum civitatis ac diocesis, seu per detrac-

tionem portionis alicujus ex fructibus integris beneficiorum quorumcumque et ex fabricis Ecclesiarum. (Sess. v, cap. 1; sess. xxiii, cap. xviii, *De Reformatione.*) Porro, licet concilia Lateranense et Tridentinum non statuerint de casu quem in præsentî quæstione intendimus, suis tamen canonibus innuunt nequaquam alienum fore a sacra disciplina ut, necessitate urgente, provideatur ex redditibus parochiarum, aliis Ecclesiis quæ sibi non sufficiunt, et sacerdotibus senio, aut infirmitate confectis, quibus non suppetunt alia media sustentationis.

4<sup>o</sup> Denique observare est quantitatem oblationum quæ occasione funeralium aliove titulo parochiis obveniunt, non determinari jure communi, nec consuetudine vim juris communis habente, sed statutis diœcesanis: ergo nihil obstat quominus Episcopus, sicut jure proprio posset illas oblationes imminuere, ita possit ob gravem necessitatis causam, de illis statuere ut aliqualis repartitio fiat inter parochias diœcesis. Fideles qui easdem obligationes statutis præfixas dant, suas intentiones ad mentem Episcopi et ad diœcesis disciplinam censentur componere.

Auctoritas quam Episcopis tribuimus, cum oriatur a divina constitutione Ecclesiæ et a disciplina canonica, non est sub arbitrio potestatis sæcularis. Nemo catholicus dixerit auctoritatem primorum pastorum ita coarctari privilegiis fabricarum lege civili constitutarum, ut earum arbitrio debeat dimittere conditionem presbyterorum qui munus vicariorum agunt in parochiis; ita nec sustineri potest jura parochorum, quæ lege civili sanciantur in oblationes fidelium, esse adeo absoluta ut Episcopi non valeant partem aliquam deducere ex parochiarum singularum proventibus, ad subveniendum necessitatibus cleri diœcesani. Hæc tamen gravibus difficultatibus implicata sunt in praxi apud nos, nec vitari possunt conflictus nisi res componatur ex condicito utriusque potestatis; siquidem index oblationum a fidelibus solvendarum, et pars adscribenda fabricis e

parcho, constituta fuerunt mutuo consensu Episcoporum et gubernii civilis<sup>1</sup>.

### § 5. De foundationibus.

Tres sunt præsertim quæstiones circa foundationes: 1<sup>a</sup> quid sint foundationes et quæ regulæ servari debeant in illarum acceptatione; 2<sup>a</sup> quid cavendum ut obligationi onerum satisfiat; 3<sup>a</sup> an et quo jure imminui possint onera foundationum.

\*589. — 1<sup>o</sup> *Quid sint foundationes; a quo, et quibus conditionibus, acceptari debeant?*

I. Fundatio est attributio boni temporalis facta instituto ecclesiastico vel regulari, sub conditione operis spiritualis, in perpetuum vel in diuturnum tempus præfinitum, præstandi. Foundationes in eo ab oblationibus differunt quod oblatio fiat occasione operis ad præsens, aut per breve tempus, peragendi, puta Missas per hebdomadam vel per annum celebrandi.

II. Foundationes acceptari necesse est ab administratoribus instituti cui res sub onere donatur. Si factæ sint per actus inter vivos, revocari possunt a donatore sicut aliæ quævis donationes, quamdiu acceptatæ non fuerunt, et rescinduntur si interea obierit donator; quapropter urget necessitas acceptandi foundationes quam primum moraliter fieri potest. Superiores, seu administrati communitatis, rem deferre debent ad Episcopum, si agatur de instituto ecclesiastico; ad Prælatum regularem, si fundatio fiat in gratiam communitatis religiosæ: rectus ordo, et regulæ canonicæ vetant ne foundationes acceptentur absque prævio assensu Episcopi, seu Prælati majoris, cujus officium est invi-

<sup>1</sup> *Actes de l'Église de Paris*, pag. 410-455. — Referuntur in diario, *Journal des fabriques*, tom XIV, pag. 546-552, quæ gesta sunt occasione statuti quo DD. Affre, archiep. Parisiensis, novam rationem partitionis oblationum inter parochos et vicarios edixerat, an. 1848. — Gaudry, *Traité de la législation des cultes*, tom. II, n<sup>o</sup> 559.